



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio Practica ...**

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà  
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XXVIII. De Communionem & Postcommunionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

digitorum ablutione omitti posse; hæc tamen posterior Rubrica per priorem explicanda est; atque adeò, sicut citatus Author asserit in prima infusione vini & aquæ in Calicem aquam omitti non posse, eò quòd Rubrica clarè præcipiat, vinum & aquam infundi; ita cum pari modo eadem Rubrica cit. tit. 10. expressè dicat, ablutionem digitorum vino aqua faciendam esse, meritò quoque negatur, aquæ affusionem pro libitu Celebrantis omitti posse.

II. Dum Purificationem & Ablutionem sumit, si non infudit quantitatem æqualem speciebus, saltem circumagat vinum in Calice; neque extra Altare demittat Calicem (nisi Ministri parva statura id exigat) neque ad infusionem pro purificatione digitis labia Calicis, aut oris sui detergat, (id quod aliqui imperitè faciunt, cum pollicem & indicem ut pote adhuc conjunctos ante ablutionem nunquam disjungere oporteat, nisi cum sacra Hostia tangenda est) neque digitos lambat, uti Gavant. p. 2. tit. 10. litt. Y. ex literis Pij V. fieri non debere ostendit, ubi etiam addit, Ablutionem per eandem viam, quâ haustus est Sanguis, sumendam esse, & pro Sanguine quidem sumendo Calicem non sæpius quàm ter pro Purificatione verò & Ablutione non sæpius quàm bis (ut singulis) ori admovendum esse.

## TITULUS XXVIII.

### DE COMMUNIONE ET POST- COMMUNIONE.

#### Ritus Communis.

- I. Dicuntur semper Communio & Postcommunio, excepto Sabbato sancto, ubi Vesperæ illarum loco cantantur.
- II. Peractâ Communionem propriâ & Populi, si opus sit Calicem ita vestit, & in Altari collocat, ut in anteriori parte totus tegatur, bursæque pars aperta ipsum Celebrantem respiciat, uti ab initio Missæ factum est, eò quòd hæc dispositio non careat suo mysterio; nam sicut ad Offertorium velatum removetur à Calice, ut Calix videatur à Populo, qui tunc manifestè Passio Christi repræsentatur; ita finitâ hujus repræsentatione rursus velandus est Calix, ne videatur, sic

ante Offertorium factum est, uti rectè Gavant. p. 2. tit. 10.  
¶ 16. Bauldrius & alij monent contra Gerlacum & alios nonnullos.

III. Dum Corporale complicat, Gavantus *l. c. litt. B.* ait, Calicem in cornu Epistolæ collocandum, ut Bursa, quæ est ex parte Evangelij commodius accipiat, quod idem etiam Corfettus & Bauldrius monent; verum quia Rubricæ de hoc situ nihil præscribunt, & plerique Sacerdotes illum ex parte Evangelij ponunt, poterit quivis in hac parte facere, quod ipsi commodius videtur.

IV. Antequam à medio ad Cornu Epistolæ accedit, non omittit solitam Cruci reverentiam facere; tum legat Communionem, & reliqua more consueto peragat. Bauldrius p. 3. c. 5. n. 5.

V. Quando claudendus est liber, facit id dextra manu, ut pars clausa Calicem respiciat. Gavant. *litt. F.* Si verò necessarius est liber pro ultimo Evangelio legendo, eo finito, ita claudendus erit, ut pars clausa respiciat cornu Evangelij, non Calicem, quod conformiter principijs Gavanti monet quidem Corfett. *Tract. 2. p. 1. sect. 1. n. 34.* Sed quia de neutro claudendi librum modo Rubrica quidquam statuit, dari aliquid iterum poterit consuetudini receptæ: maximè quia ordinariè, quocumque modo claudatur, dextræ quoque, quam ad hoc Officium Gavantus requirit, ministerium concurrat.

VI. Non tamen claudendus est liber, nisi finitâ Conclusionem ultimæ Orationis. Hinc errant, qui indecorè prope- rantes librum claudunt ante finem Conclusionis, eamque accedendo ad medium Altaris absolvunt. Gerlac. p. 2. tit. 11. §. 1.

*Ritus Solemnis.*

I. Post sumptam ablutionem non purgat ipse Calicem, nec vestit, sed Subdiacono id Officium relinquit.

II. Etiam librum post dictas omnes Orationes non ipse claudit, sed Cæremoniarium id facere finit.